

*Ut Protonotarii Regni Croatiae et Sclavoniae ad Regni Dietam Juratum suum et Tabulae Banalis Notarium, in publicos consessus inducere possint.*

A R T I C U L U S 98.

Ad instantiam Egregii Magistri Joannis Zakmardy de Diankocz, Protonotarii Regni Croatiae et Sclavoniae ac Ablegati ejusdem Regni, ad praesentem Dietam Nuncii, annunt Status et Ordines; ut Protonotarii illius Regni, dum ad Generalem Regni Ungariae Dietam advenerint; semper unum vel alterum Juratum suum et Tabulae Banalis Notarium, adinstar aliorum Protonotariorum, in publicos consessus inducere; et inter reliquos astantes Protonotariorum Scribas vel Notarios collocare possint.

FERDINANDI III. IMPER & REGIS DECRETUM IV. ANNI 1655. ARTIC. POST CORON.

*Subsidium Mediae Tricesimae ex parte sui offerunt Regnicolae usque ad futuram Dietam.*

A R T I C U L U S 4.

Et quia Sua Majestas Sacratissima Munitionem et Militum nativorum etiam Banalium ad praetactum numerum adauctorum exolutionem clementer in se assumpsisset; in eum finem Status quoque et Ordines Regni auctionem mediae Tricesimae huic regno proveniente, usque ad proxime futuram Dietam continuandam, apud manus Inclytae Camerae Ungaricae relinquunt; ut hac etiam auctione Tricesimae solutioni Confiniariorum commodius provideri possit.

*De Solutorum Bellicorum abusibus tollendis: et Magistro Lustrae in quovis Generalatu constituendo: Poenaeque non completo numero, aut fraudulenter lustrantium.*

A R T I C U L U S 9.

Et quia statum confiniorum abusus etiam in modo solvendi introductus, nimium aggravaret; Proinde ad tollendos tales et quosvis alios excessus: Statutum est; ut milites confinarii amodo imposterum, etiam Banales, singulis decem mensibus lustrentur: Ac pro sex quidem mensibus, per florenos Ungaricales, in parata pecunia; pro quatuor vero mensibus in panno, competenti pretio et mensura dando, usque ad futuram Dietam exolvantur.

*Contributio pro Conservatoribus et Custodibus Sacrae Coronae ac Legationibus Regni.*

A R T I C U L U S 15.

§. 3. Regnum vero Croatiae et Sclavoniae, juxta oblationem suam, in Articulo 34. An. 1647. factam, contribuat.